



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 33. Sigismundi Austriaci irruptio in Ferreranum Comitatum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Burgundo nunciavit, hancque in rem fe-
 cialem Novesium misit, demum in Bur-
 gundiam populabundus excurrit, & Pe-
 trafortem munitissimum quoddam castel-
 lum secundo lapide Nancejo, quod Lo-
 tharingiæ caput est, diffitum occupat, ac
 penitus solo æquat. Nec tamen inde
 Burgundus animo fractus, Novesii obsi-
 dionem solvebat, sed omnibus, qui ei
 exponebant, quod exercitus animo &
 numero exhaustus, & Provinciæ ejus
 scæde devastatæ, ac præter annonam ad-
 vehendi difficultatem expensæ, quas su-
 finere cogeretur, ferme immensæ essent,
 nihilominus Dux cunctis intrepide re-
 spondit, agi de honore suo, nec se sine
 suo dispendio obsidionem solvere posse,
 etsi ea solidum adhuc annum teneret,
 proin potius paratum se esse ante Novesii
 moenia mortem oppetere, quam a cæpto
 desistere.

§. XXXIII.

*Sigismundi Austriaci irruptio in
 Ferretanum Comitatum.*

Alter adhuc hostis Sigismundus Au-
 striæ Dux Burgundo instabat. Hic
 acceptis centum florenorum millibus ei-
 dem Ferretanum Comitatum pignori re-
 linquebat; cum vero Sigismundus prole-
 careret, ac in luxum immoderatus effu-
 sus

Sæcul. XV.
A.C 1474.

Pierre-forte

Sæcul. XV. A.C. 1474. fus esset; hinc vix spes supererat, quod vel unquam ditionem oppignoratam redimere vellet, quamvis tabulæ hanc in rem scriptæ disertis verbis hanc completerentur conditionem: quod Comitatus, nisi a Sigismundo redimeretur, Ducis dominio cederet. Ceterum eadem hæ tabulæ neglectæ cujusdam conditionis vitio scatebant, quo tamen Ludovicus XI. in rem suam opportune utebatur; Legibus enim imperii sancitum erat, ne ullus Princeps beneficiarium Imperii Germanici prædium inconsulto Cæsare alienaret: hujus autem consensum impetrare neglexerat Burgundus, quem tamen haud dubie obtinisset, si debitas solvisset pecunias. Delata est hujus rei notitia ad Sigismundum, qui obtento honesto belli prætextu, eo promptius sese conspirationi in Burgundum conslatæ addixit, quo magis sibi perspectum habebat, nihil ardentius a foederatis desiderari, quam nominis sui auctoritatem, ut rursus in præfati Comitatus possessionem restitui posset.

§. XXXIV.

Alterum Ludovici XI. fœdus cum Helvetiis.

Tandem etiam Helvetii, ac omnes Imperii urbes ad Rhenum sitæ, Ludovici